

Cenuensis, cui adheret Diana p. 2. tract. 17. ref. 66. tenet, non esse denunciandum, nisi superfluitio, &c. speret manifeste haresim, & simplicitas, aut alia iusta causa non excuset.

Resp. esse denunciandum; quia Edictum absolute precipit denunciari delicta suspecta de haresi committentes, & non utitur verbo *Executes*. Alioquin nedum non esset denuncianda mulier, quæ femel maleficium, aut superstitionem fecit, sed neque, quæ bis, aut ter; nam duo, aut tria facta non faciunt exercitium. Tunc quia quæ femel maleficium fecit, verè delictum in Edicto comprehensum commisit. His rationibus denunciandus est Confessarius, qui femel sollicitavit. Vide num. 678.

QUÆRES X.

283. An quando precipitur delictum denunciandum ex presumptione, qua fit, sciens in tali casu presumptionem desistere, teneatur ad denunciandum?

Negat, apud Dianam p. 1. tract. 4. ref. 10. Homobonus, Riccius, & Valerus, qui hæc habet:

Quid fallit in his, in quibus Edictum se fundat in presumptione, ut in Chironanticis, Necronanticis, & aliis, qui ex inspiratione rimularum, vel linearum minus aliquæ prædicant, si aliis ego certè scio, non habere tales pactum ullum cum demone, non teneor denunciare, nam Motus Sixti V. circa hoc editus fundat se in presumptione. In dubio autem tenetur quis denunciare.

Resp. teneri denunciare. Freitas, apud Dianam cit. 1. Quia iudicium suspicionis haresis spectat ad Inquisitores. 2. Quia huiusmodi censentur suspecti suspicionem juris de iure; & hac ratione in num. 692. dicimus, mulierem teneri denunciare Confessarium sollicitantem, quem scit ex pura fragilitate sollicitasse, non obstante, quod Bulla Greg. XV. fundetur in presumptione, ut liquet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeantes.*

QUÆRES XI.

284. An omittens denunciationem hæretici, aut suspecti de haresi sit suspectus de haresi, & denunciandus?

Quoad omittendum denunciationem suspecti de haresi, non esse suspectum, tenent Carena p. 2. tit. 9. num. 4. & 46. & Lupus apud Bord. in *Man. Consult. sect. 18. num. 72.* ac proinde non esse denunciandum, quia præsumptio non oritur ex presumptione, nec suspicio ex suspitione; Bord. verò cit. vult, esse suspectum de levi; concedit tamen sub num. 73. quod non sit denunciandus: illud mihi verum est, quod non sit fautor hæretici, quia suspectus de haresi non est hæreticus. Leander de *Censuris, tract. 3. disp. 1. q. 27.*

285. Quoad omittentem autem denunciationem hæretici, cum possit, Carena cit. tenet esse levis suspectum; imò nullo pacto esse suspectum, si

omittat ex metu, aut alia causa in se honesta consanguinitatis, amicitia, &c. quia tunc præsumitur omittere, non ut defendat haresim, nisi ea amicitia, & familiaritas esset nimis ardens, aut nisi tenetur denunciare ex officio, tunc quidem induceretur vehementer suspicio. Diana p. 4. tract. 7. ref. 21. §. Et tandem.

Addit Bord. cit. num. 73. cum Lupo, quod omittens denunciationem hæretici; licet sit suspectus de haresi, non sit denunciandus; quia non debet dari processus in infinitum. Nec obstat, quod Edictum precipit denunciationem suspecti de haresi; quia loquitur de suspectis ob alia delicta positiva patrata.

Hinc Lupus p. 70. diff. 2 & Delbene dub. 27. num. 2. eum aliis tenet, personas privatas omittentes denunciare Inquisitori, cum possint hæreticum, non esse fautores hæretici, si folium teneantur ex præcepto Edicti Generalis Inquisitorum, sed peccare contra obedientiam, & incidere in censuram Edicti, ac inde esse puniendos ab Inquisitoribus, non pœna ordinaria fautorum, sed ad arbitrium tanquam inobedientes mandatis; illis adheret. Diana cit. At Alphonsus de Castro, & Leander cit. q. 31. docent, eos esse fautores.

286. Certum tamen mihi est, quod si isti omittentes, seu non revelantes hæreticum, cum possint, ad id teneantur ex officio, ut sunt Notarii, Socii, Satellites, & similes ex Officio Sancto Tribunali inservientes, & testes legitime interrogati, qui veritatem celant, aut minuunt, sint suspecti de vehementi, & fautores hæreticorum. Ita cit. DD. ac proinde ultra excommunicationem Edicti, incurunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & sunt denunciandi.

Idem dico cum Diana cit. §. Nota tamen, de personis privatis, si ex speciali præcepto vocentur ad veritatem dicendam, & recitent accedere, aut requisiti à ministris ad auxilium contra hæreticos præstandum, omittant.

Idem de persona privata, quæ dissuadet à denunciando hæreticum, cum, qui est paratus denunciare, aut consilium petat; quia habetur positivum delictum.

Prælati autem omnes à fautoria excusantur, ac inde ab excommunicatione in Cœna Domini, & suspensione haresis, tam quando omittunt denunciationem, quam quando positivè fiunt hæretico, non ut tali, sed ob aliam causam in se honestam, puta ratione metus, periculi, consanguinitatis, amicitia, &c. Bord. cit. sect. 14. à num. 12. Leander cit. q. 1. & 2. cum communi, quia ad incurrendam fautoriam requiritur, quod motum ferendi sit haresis; cum enim censura Bullæ Cœnæ feratur in hæreticum propter haresim, ita ferri debet in fautores hæreticorum, ut talium; quia accessorium sequitur suum principale.

Hoc verò locum habet in foro conscientia, quoniam in foro externo præsumitur fautor, excom-

municatus, & suspectus de haresi, nisi probet quod omiserit ex alia causa.

CAPUT V.

DE DELICTIS AD S. OFFICIUM SPECTANTIBUS.

QUÆRES I.

Quid ignorantia operetur?

287. **R**esp. ignorantia culpæ excusare à culpa. Hinc in aliquibus superstitionibus, in quibus non adest pactum explicitum cum demone, sed solum implicitum, ex ignorantia, & simplicitate, mulierculæ sæpe excusari solent à culpa mortali. Quod autem requiritur ad peccatum mortale, fusè dictum est in tom. 1. de peccatis.

288. In illis autem casibus, in quibus quis excusatur à culpa mortali, excusatur à pœnis; quia pœna sequitur culpam, ac proinde non afficit ignorantes Bord. in *Trib. fidei, cap. 41. num. 35.* qui num. 36. addit:

Procedunt dicta non solum in foro conscientia, in quo asserti ignorantiam creditur; quia agitur de interese anime, cujus nullus præsumitur immemor, cap. Sancimus 16. 1. quest. 7. nam cuique in foro conscientia, tam pro se, quam contra se creditur, ex C. Significasti 18. de Homicidio, verum etiam in foro externo; quia unusquisque fori idem est iudicium. Sicut Sanchez, &c. Valerus in *Prelud. differ. utriusque juris, v. Eius, assertens, valere argumentum à foro interno ad externum, & è contra. Id verum dicunt, nisi forus externus fundetur in presumptione, in quo casu allegans ignorantiam, eam probare tenetur.*

Quamvis igitur in foro externo secundum externam procedatur, adhuc forus internus potest juvare pro externo, si conjectura, & circumstantia extrinsecæ qualitatibus personæ, actionis, temporis, &c. sint tales, ut rationaliter, & prudenter inducant ad arguendum ignorantiam, simplicitatem, aut perfecti voluntarii defectum.

QUÆRES II.

289. Quales sint propositiones prave ad Sententiam Officium spectantes?

Propositiones prave ad S. Officium spectantes sunt plures, iuxta quindecim gradus, quos factis doctè assert. Bord. in *Trib. fidei, cap. 14. num. 77. ad 88.* & sunt: propositio hæretica, erronea, sapiens haresim, impia, temeraria, malefona, seu piaurium aurium offensiva, scandalosa, periculosa, arrogans, seditiosa, schismatica, blasphemata, maledicta, seu injuriosa, & improbabilis.

1. PROPOSITIO HÆRETICA

290. **E**ST, quæ immediatè opponitur propositioni revelata dicitur, & consequenter de fide, 1. Quæ est expressa, aut contenta in Sacra Scriptura

antiqui, aut novi Testamenti ab Ecclesia recepta, ut Christus mortuus est, & resurrexit. 2. Quæ ab Ecclesia Universalis in Concilio Generali legitime congregato, aut à Sede Apostolica, seu à Summo Pontifice, tanquam ad fidem pertinens est definita, ut ex *Trid. sess. 6. can. 5. Liberum hominis arbitrium post Acta peccatum non est amissum, & extintum, &c. Vide num. 298. 3. Quæ ex Apostolicis traditionibus est communi ulu Ecclesiæ recepta.*

291. Traditiones Apostolicæ ex *Trid. sess. 4.* sunt quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dicente, quasi per manus tradite, ad nos usque pervenerunt.

Quæ traditiones quantæ sint autoritatis exprimit immediatè sequentibus verbis:

Orthodoxorum Patrum exemplis secuta, omnes libros, tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque veritas Deus sit Author, necnon traditiones, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, vel tanquam ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipi, & venerari.

Hinc Scotus in 1. d. 11. q. 1. §. Ad autoritates, D. ait: Nec Christus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum, dixit enim discipulis suis in Joanne: adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: multa igitur docuit eos, scilicet, quæ non sunt scripta in Evangelio, & illa multa, quædam per scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt.

292. Traditiones spectantes ad fidem sunt, 1. Quod Deus solus sit author utriusque Testamenti. 2. Quod Sacra Scriptura ad nos pervenit intacta secundum veritates à Deo revelatas. 3. Quod verus sensus Sacra Scriptura sit in Ecclesia Romana, non extra. 4. Quod symbolum parvum Apostolorum sit verbum Dei, verbum canonicum, & legitimum. 5. Quod parvuli sint baptizandi. 6. Quod baptizari ab hæreticis, servata legitima forma, non sint rebaptizandi. 7. Quod in Sacramento Baptismi sint exprimentæ tres personæ. 8. Quod Sacramenta sint tantum septem, non plura nec pauciora. 9. Quod Mater Dei, fuerit semper Virgo.

293. Traditiones spectantes ad ritus, & mores sunt. 1. De benedictione aquæ. 2. De orando versis orientem. 3. De trina merione in baptizando. 4. De miscenda aqua in Calice. 5. De formando signum Crucis in fronte. 6. De sumenda Eucharistia in junio. 7. De abstinentio à servilibus, diebus Dominicis, & similes, quæ minimè in sacris libris scripturæ reperiuntur, sed apud Sanctos Patres acceptæ ab Apostolis edoctis à Christo, nam ex Joann. ult. Multa alia fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Unde Paulus ad Thess. 2. ait: Tenete traditiones, quæ accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.

294. Præter traditiones divinas dantur traditiones Ecclesiasticæ, quæ post tempora Apostolorum sunt

sunt à Prælati Ecclesiæ introducunt: ut solemnizatio Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes: licet enim Passio, Resurrectio, &c. prout sunt parate, non sint traditiones, sed articulo fidei expressæ in Sacra Scriptura, prout tamen solemnizantur cum abstinentiâ à servilibus, &c. sunt traditiones.

295. In dubio, an traditio sit divina habens pro Authore Christum, seu Deum, vel Ecclesiastica habens pro Authore Ministros Ecclesiæ? Censendam esse Ecclesiasticam, ait Bord. *cit. num. 8.*

296. Qui opponitur traditioni divinæ quoad propositiones spectantes ad fidem, ut tales ab Ecclesia Catholica receptas, est hæreticus; quia talis traditio innititur testimonio divino; qui verò opponitur traditioni Ecclesiæ est temerarius, & suspectus de hæresi; quia (ut inquit Bord.) *qui recedit à communi usu, quem tota servat Ecclesia, aut Ecclesiam contemnit, aut de eius potestate dubitat, aut putat eam decipi, & decipere circa morum instructionem, que vehementer hæresim susceptionem inducunt.* Hinc Aug. epist. 18. inquit: *Insolentissima insania est disputare, an faciendum sit, quod tota per Orbem frequenter Ecclesia. Et Scotus in 1. d. 11. q. 1. §. Ad Auctoritates, D. habet: Ad rationem illam de Evangelio dico, quod, Christum descendisse ad inferna, non docetur in Evangelio, & tamen tenendum est, sicut articulus fidei; quia ponitur in symbolo Apostolorum; ita multa alia de sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Evangelio; & tamen Ecclesia tenet, illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis & periculo sum esse errare circa illa, que non tantum ab Apostolis descendunt præscripta, sed etiam que per consuetudinem universalis Ecclesiæ tenenda sunt.*

Denique propositio, contra quam in Sacris Conciliis determinantibus spectantia ad fidem apponitur titulus Anathematis: *Anathema sit*: est hæretica. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 91.

2. ERRONEA

297. **E**ST illa, quæ est contra veritatem Catholicam obscuram non jam definitam: vel secundum Bord. est illa, quæ propositioni theologice opponitur.

298. Propositio, quæ sequitur ex duabus de fide, est de fide; quia est revelata, nam qui revelat præmissas, revelat conclusionem, cum conclusio continetur in præmissis: liquet hoc syllogismo: *Omnes Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum; Petrus fuit unus ex Apostolis; igitur Petrus accepit Spiritum Sanctum.*

299. Propositio theologica est illa, quæ sequitur ex præmissis, quarum una est de fide, altera naturalis; nam conclusio sequitur debiliorem partem: quod si præmissa, quæ non est de fide sit opinabilis, conclusio dicitur theologica opinabilis; si verò erit omninò vera, vel quia evidens, vel quia est veritas catholica obscura, non jam definita, & sic com-

munitur accepta, tunc dicitur theologica scientificæ, seu ex præmissis ambabus omninò veris. Propositio autem erronea est, quæ opponitur propositioni theologice omninò veræ, ut *Christus non est risibilis*, quæ opponitur isti: *Christus est risibilis*, quæ sequitur ex una naturali; & altera de fide, ambabus omninò veris: *Omnis homo est risibilis, Christus est homo.*

Pariter hæc propositio: *Maria Virgo peccavit venialiter*: quæ post definitionem factam à Conc. Trident. sess. 6. can. 23. est hæretica, antea erat erronea, quia propositio negativa opposita: *non peccavit venialiter*: erat veritas Catholica obscura contenta in illo *Cant. cap. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, & in illo *Psalm. 9. Quæretur peccatum illius, & non invenietur*, ut talis postea ab Ecclesia manifestata, ac definita.

Hic facit propositio errori proxima, & est illa, quæ opponitur conclusioni theologice, ita tamen, ut una præmissa sit evidens apud omnes, altera verò sit de fide, sed non apud omnes, adeoque sit opinativè de fide; vel ita ut una præmissa sit de fide apud omnes, altera verò sit evidens, sed non apud omnes, adeoque sit opinativè evidens.

3. SAPIENS HÆRESIM

300. **E**ST illa, quæ opponitur propositioni sapienti fidem, videlicet non revelatæ, nec deductæ, sed receptæ tantum ex communi sensu Ecclesiæ, ut ista: *In quadragesima abstinendum est ab esu carnis, & Lævitiarum.* *Maria Virgo assumpta est cum Corpore in Cælum*, quia licet neutra sit de fide; cum non sit hæcenus ut talis definita, utraque sapit fidem, quatenus est recepta ut catholica ex communi sensu Ecclesiæ: Communis autem consensus Patrum, atque fidelium non facit rem de fide; quia non aliis, aut communitatis, sed soli Petro, & ejus successoribus dedit Deus potestatem decidendi controversias in materia fidei.

301. Vel secundum alios est illa, ex qua cum alia præmissa certa sequitur hæresis: ut hæc propositio: *Omnis homo existens Panormi est in peccato mortali*: ex qua, addita hæc alia propositione certa: *Infantes Panormi existentes sunt homines*: sequitur hæc propositio hæretica: *Infantes Panormi existentes sunt in peccato mortali*: quæ est hæresis Bucerii, qui dicebat multos baptizatos statim morientes damnari, & alios non baptizatos salvari.

4. IMPIA

302. **E**ST illa, quæ opponitur propositioni piæ quæ scilicet non revelata, non deducta, non solemnizata fovet Religionem, fidem, charitatem, & devotionem. Bord. *cit. num. 84.* Propositiones piæ sunt. *Quod Angeli Custodes, & Sancti Advocati nobis assistant in extremo vite periculo: Quod Angeli comitentur animas ad Cælum: Quod Mater Dei viderit in hac vita Divinam essentiam.* Ita Bord.

Cui

303. Qui colligit, propositionem fidei, theologiam, sapientem fidem, & piam, esse quatuor species, & gradus propositionis Catholice, gradum suam certitudinem habentes. 1. Ex divino testimonio. 2. Ex deductis per consequentiam logicam. 3. Ex solemnizatis, ut est Assumptio Virginis cum Corpore in Cælum, quæ est accepta ex communi sensu Ecclesiæ, & solemnizatur ejus festum: ab Ecclesia autem non solemnizatur festum, nisi de Sancto; nec potest decerni officium de objecto non Sancto. Bord. in *Man. Consult. de anno 1693. sect. 56. num. 18.* Quartam demum ex piis operibus. Descendamus igitur ad alias species, seu alios gradus.

5. TEMERARIA

304. **E**ST, quæ caret auctoritate, & ratione: ut: *Mundus cessabit intra centum annos. Christus post Resurrectionem fuit in arca foderis per 40. dies. Discipuli Joannis Baptiste fuerunt illi, qui clamaverunt: Crucifige, crucifige.* Alphonsus de Castro, lib. 1. de *Justa Heret. punie. cap. 2.* Vide num. 323.

6. MALESONANS

305. **E**ST, quæ sensum habet absurdum, aut alienum à communi, & usitato modo loquendi Patrum, & Doctorum, ut: *Plures saculares salvantur, quam Ecclesiastici. Deus facit malum.*

306. Hic accedit propositio æquivoca, quæ habere potest sensum catholicum, & hæreticum, & tunc Judex fidei eam proferenti concedit, ut se declaret; & stari debet menti proferentis, nisi aliud obstat; nam (ait Bord. *cit. num. 86.*) *verba non sunt intelligenda, secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis, cap. Intelligentia 6. cap. Propterea 8. cap. In iis 15. de Verb. signif. quia mens est potentior verbis, l. Lateo 7. in fine, ff. de Suppl. legat. sed mentem, & animum mentis nemo novit, nisi ipse loquens: ergo eidem standum est in interpretatione suorum verborum.*

Eò maxime, quia in obscuris favendum est magis reo, quam actori; quoniam dubia sunt in benigniorem partem interpretanda. *L. 57. ff. de Reg. Juris.*

Hinc Lazarius apud Bord. *cit. num. 86.* ait: in hæc blasphemia: *Por el Cuerpo de Dios*; standum esse menti proferentis, an scilicet ea verba protulit de Deo incarnato, vel Deo ut in se. Similiter hæc verba: *Por la Barba, por la Sangre de Dios*; non sunt hæreticalia, nisi quando non intelliguntur de Deo incarnato; ut si dicitur: *Por el Cuerpo, por la Sangre de Dios Padre*: aliter trahi possunt in bonum sensum, ut intelligantur de Deo incarnato. Bord. in *Man. Consult. sect. 45. num. 67.*

307. Dixi: nisi aliud obstat; quia ex circumstantia personæ, propositio, quæ in se est æquivoca, & trahi posset in bonum sensum, est malè sonans, & piarum aurium offensiva, puta, si qui eam profert fuerit aliis reus in S. Officio, si fir malè famæ, si de genere infidelium, aut de loco infecto,

&c. tunc quidem ex præsumptione juris non censetur habuisse rectam mentem, sed præsumitur suspectus.

7. SCANDALOSA

308. **E**ST, quæ aliis est occasio malè sentiendi quoad res fidei, aut quoad mores, ut ex Alphonso de Castro: quod hæreticus non sint puniendi, quod jejunium sit impertinens Christianæ perfectioni, quod majoris meriti sit elemosyna, quam Sacrificium Missæ.

Meliùs, & benignius, propositio scandalosa, dicitur illa, quæ docet aliquid, quod prebet aliis occasionem ruinæ. Hoc pacto, ut scandalosas damnat. 45, propositiones Alex. VII. & Innoc. XI. in tom. 1. ut constat ex Decretorum exordio: *Quamplures opiniones Christiana disciplina relaxativas, & animarum perniciem inferentes, &c.*

8. PERICULOSA

309. **E**ST, quæ potest esse occasio periculi in doctrina fidei, aut morum: ut homo potest esse perfectus sine penitentia externa. Sufficit penitentia in extremis. 9. Arrogans, quæ plus quam oportet, concedit; aut plus asserit, quam possit probare: ut: *Potest quis propriis viribus consequi gratiam, & gloriam.* 10. Seditiosa, quæ zizaniam seminat, atque discordiam: ut: *Quilibet potest sibi justitiam facere.* 11. Schismatica, quæ tollit unitatem membrorum à capite, ut: *Papa non est legitimus Superior.*

12. BLASPHEMIA

310. **Q**UÆ est contumelia contra Dei laudem, & honorem ei debitum. Sub hæc definitione comprehenditur blasphemia in Sanctos, & res sacras; quia injuria in Sanctos, aut res sacras redundat in Deum, ex illo *Luc. 16. Qui vos spernit, me spernit, & Psalm. 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.*

311. Blasphemia est duplex, simplex, videlicet, quæ nihil continet contra fidem, sed tendit in solam Dei vilipensionem. Et hæreticalis, de qua in præsentem est sermo, & est illa, in qua quoad verba continetur error contra fidem, intellectus tamen illi errori non assentitur: Et hæc est Inquisitoribus denuncianda. Univerfaliter illa propositio est hæreticalis, in qua aliquid demitur, quod est de fide, ut: *Deus non est justus*, aut aliquid additur, quod est contra fidem, ut: *Deus est auctor peccati*; sine tamen errore in intellectu, nam ei si correspondeat, error in intellectu, de ea est discurrendum, ut de propositione hæretica, seu ut de hæresi, nimirum quod non solum sit denuncianda, sed etiam, quod non possit absolvi, nec virtute Bullæ, aut Jubilæi. Vide num. 381. 382. & 389. Hic de fide dicitur, non solum quod est definitum, sed etiam quod est dogma fidei, aut sapit fidem.

312. Vocare amasiam Deum, aut idolum suum non est blasphemia; quia hæc verba non accipiuntur

tur in sensu proprio, sed hyperbolico. Diana p. 5. tract. 13. ref. 20.

313. Hæc verba: *Ob pater, & diable*: videntur blasphemia hæreticalis; quia *l'pater* supponit pro Patre æterno, cui additur esse dæmonis. Tanc. tamen tom. 4. tract. 2. q. 54. ait, nullam esse blasphemiam; quia blasphemia est, quæ aliquid de Deo enunciat, quod ipsi non convenit, aut aliquid negat, quod ipsi convenit; præfata autem verba non sunt huiusmodi; quia neque affirmant, neque negant: unde particula illa, & est purè materialis conjunctio, non minùs, ac si diceretur: *Ob pater, & Joannes*. Hinc neque illi, qui ea proferunt, scire solent, quid dicunt, sed ea proferunt ob impatientiam. Quod si quis ea verba intenderet dicere, eo modo, quod dicitur: *Ob pater, & filii*; substituendo loco filii diabolum, utique esset hæreticalis blasphemia. Ita Tanc. qui tamen monet deterrandos esse ab hoc pravo modo loquendi fideles.

314. Hæc verba: *Porc di Dio*, sunt blasphemia hæreticalis; quia non convenit Deo hoc membrum. Bord. in *Man. Consult. sect. 45. num. 65.*

315. Hæc alia verba, in qua solet quis ex ira prorumpere: *Puttana di Dio*: sed paulo post subdit: *Bacco, vel Santo Dia*: relicto, *volo*, esse blasphemias hæreticales, tenet Auctor casum conscientie Bononiæ discipulorum, apud Dianam p. 6. tract. 8. ref. 38. quia licet in utroque casu non sint completa verba, est completus sensus verborum blasphemiam continentium; nam ea proferens offendit affectum, & principium facti blasphemandi.

Dico tamen, non esse blasphemias hæreticales eum Diana cit. & Ricciullo, apud ipsum quia ea non sunt verba perfecta. Tum quia isti requisiti, respondere solent, id sic proferre, ut se cohibeant à dæmonio sancto. Idem dicunt de *Sancto Diamanti*: nec oblat ratio in oppositum; quia falsum est, quod constat de affectu; hic namque constare non potest, nisi ex verbis; quæ, cum non sint perfecta, non possunt arguere affectum perfectum; quoniam *verbum oris est signum verbi, quod intus latet*. Tum quia quando verba possunt accipi pro blasphemiam, & non blasphemiam, debent accipi pro non blasphemiam. Tamb. lib. 2. Dec. cap. 6. §. 4. num. 19. ex multis; nam verba in dubio non sunt accipienda, ut sonent delictum; quia delictum non est præsumendum, nisi clare constet. Facere dæmonium sanctum est blasphemia hæreticalis, at Joseph de Augustino in *Brevi notitia de 1. Prac. num. 14.* ait, in Sicilia propter communem usum habere rationem simplicis blasphemie. Huiusmodi usitationem intinuat ipsum Edictum Inquis. Regni Siciliæ in fine, quod tales blasphemos acriter comminatur.

Hæc blasphemia: *Per l' anima di Dio*. Intelligendo non de Deo incarnato, sed de Deo ut in se, est hæreticalis; eam tamen usitationem video in Sicilia. Vide num. 306.

316. *Renego S. Petrum*; similiter de aliis Sanc-

tis: esse blasphemiam hæreticalem, tenet Bord. in *Man. Consult. sect. 45. num. 161.* cum Castrop. quia negando quis existentiam Sancti, negat consequenter ejus Canonizationem, Beatitude, &c. Id negant Carena p. 2. tit. 7. num. 12. Sanchez, Candidus, Salettes, & alii, apud Bord. cit. quia non negatur de Sanctis aliqua veritas pertinet ad fidem, sed solum dicitur verbum contumeliosum in Sanctos. Assirmo tamen cum Edicto Inquis. Siciliæ.

317. Blasphemia hæreticalis est proferre verbum destructivum virginitalis Matris Dei, aut alterius Sanctæ, quam Ecclesia colit, & tenet virginem, v. gr. dicendo: *Questa puttana, &c.*

318. Bord. in *Man. Consult. sect. 18. num. 49.* ait, non esse denunciandum illum, qui dixit: *Voglio negar la fede, è farmi Turco, vel voglio più tosto negar la fede, è farmi Turco, che servire, &c.* quia Edictum præcipit denunciari delicta jam commissa, non committenda. Imò utraque propositio est quadam exaggeratio ex ira, non voluntas seria adimplendi.

319. Blasphemia quæcumque, sive ex fervore iracundiæ, sive ex joco prolata est mortalis, quia semper vergit in diminutionem divini honoris.

Si quis autem ex passione aliqua subito in blasphemiam, etiam hæreticalem prorumpere non advertens, nec considerans significationem verborum, non peccaret mortaliter. Si verò plenè advenit esse verba blasphemiam, & volens in illa prorumpit, mortaliter peccat, licet, subito, & ex passione in illa prorumpat; quia contra divinum honorem, & fidem non datur parvitas mater; unde blasphemiam non potest, nisi ex indeliberatione, à mortali excusari. Vide tom. 1. de Peccatis.

320. Blasphemias hæreticales in Inquisitione Romana censentur suspecti de vehementi, nam ibi ex verbis arguunt intentionem; juxta illud Matth. 15. *qua procedunt de ore, de corde exeunt*. In Inquis. verò Hispan. regulariter habentur suspecti de levi, quatenus in nostris Regnis expertum est huiusmodi blasphemos potius ex ira, passione, aut lubrico linguæ in blasphemias prorumpere, quam ex prava intentione, quia male sentiant. Quia tamen verba in se continent hæresim, ideò putant eos leviter suspectos.

Dixi: *regulariter*, quia aliquando attenda qualitate blasphemantis, & blasphemiarum, censentur suspecti de vehementi, & abjurant de vehementi.

321. Catalogum blasphemiarum hæreticalium affert Bord. in *Trib. Fidei, cap. 25. & 41. quest. 43. à num. 10. & præsertim in Man. Consult. de anno 1693. sect. 45. à num. 60. ad 167. ubi omnes ferè refert, quæ tamen omnes ex dictis faciliter qualificantur.*

13. MALEDICA,
322. SEU injuriosa est, quæ proximi, injuriam continet, ut: *Episcopi sum tyranni. Religiosi sunt in statu peccati.*

14. IMPROBABILIS
323. EST, quæ caret solido fundamento, aut est reprobata ab Ecclesia; huiusmodi sunt omnes propositiones hæcenus à Summis Pontificibus damnatæ; de quibus in num. 1.

324. Propositio dupliciter dicitur improbabilis. 1. Negativè, & idem est, ac non probabilis, quæ caret, sed non opponitur gravi fundamento; hinc non est probabilis, sed non est certò falsa: talis est hæc propositio: *Magnus Turca dormit*: adeoque propositio improbabilis, negativè opponitur opinioni probabilis; quia illa nititur gravi fundamento, hæc non, & coincidit cum propositione temeraria.

Secundo positivè, quæ caret gravi fundamento, & insuper opponitur principiis certis, ac proinde est certò falsa. Tales inquam sunt propositiones à Summis Pontificibus damnatæ; hæc quidem sunt improbabiles ante condemnationem; quia supponuntur opponi principiis certis, & præsertim post condemnationem; quia Romanus Pontifex loquens Ecclesiæ in doctrina morum errare non potest, etiam extra definitionem articuli fidei. Vide num. 406.

325. Recensiti autem gradus propositionis non sunt ita distincti, ut eadem uni propositioni convenire non possint. Hinc propositio Soti: *Defunctus in purgatorio non manet ultra decennium*, est temeraria, scandalosa, & impia, ut discurrenti patet. Et quidem impia; quia fideles à suffragiis, & pietatis operibus pro animabus purgatorii avertit.

326. Item hæc propositio: *Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana*: est 1. Hæretica, quia contra S. Sedis definitionem. 2. Scandalosa, quia fideles ab ingressu Religionum, & professos à votis servandis retrahit. 3. Impia, quia faculares à pietatis operibus erga Religiosos, & ab elemosynis eis ministrandis removet. 4. Temeraria, quia nulla ratione, aut autoritate fulcitur, sed Sanctis Patribus adversatur. 5. Scandalosa, quia dat secularibus occasionem, ut avertantur à statu perfectiori, & dat eis occasionem, malè sentiendi de Religionibus, & Religiosis. 6. Schismaticæ, quia unitatem Ecclesiæ dividit, Religiosos ab illa separans, & 7. Injuriosa, quia injuriam contra Religiones continet. Vide num. 405.

327. Denique optimè advertit Alberginus cap. 12. cap. 18. quòd non solum quis potest errare circa propositionem, sed etiam circa illius censuram, quare si propositionem de fide, vel à Theologis, vel Doctoribus receptam, dicat esse erroneam, vel scandalosam, vel temerariam, errorem committit, vel hæresim sapit, vel temerarius existit, ac si de factò propositionem negaret, quia virtualiter illam negat, & insuper contra rationem nota insanam illam ingrit.

328. Hinc in Decr. Innoc. XI. de anno 1679. 2. Martii cautum est.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute S. Obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manscriptis, quam in scholis, disputationibus, ac predicationibus caveant ab omni censura & nota, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controversantur, donec à S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

QUÆRES III:

329. Quæ sunt alia delicta in quibus delinquentes sunt denunciandi?

Denunciandi sunt 1. Hæretici, & Schismatici, eorumque fautores, & receptatores; & proferentes propositiones in superiori qualitate expressas. Item docentes, defendentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, de quibus in tom. 1.

2. Apostatæ à fide, vulgò *Renegados*, licet non habuerint errorem in intellectu, sed tantum exterior fidem negaverint, quia non desinunt esse vehementer suspecti, & in foro externo secundum externam proceditur. Vide num. 387. in foro tamen conscientie non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ: unde possunt à quolibet Confessario absolvi Matris disp. 10. q. 1. art. 3. num. 20. Vide num. 40. Diana p. 3. tract. 4. ref. 143. cum permultis. Vide num. 382. & seq.

331. Hic non comprehenduntur Apostatæ à Religionibus, nisi apostatæ aliquid addant, quòd sapiat hæresim; puta si transcant ad partes hæreticorum, si habitum lacerent, pedibus conculcent, aut blasphemias in Religionem evomant.

332. 3. Spretores campanarum; quia hic est unus ex Turcarum erroribus. Sacras imagines confurcantes, & percutientes, etiam si ex iracundiâ faciant.

333. 4. Confessarii frangentes sigillum Confessionis cum aliquo errore in intellectu circa fidem, puta si defendant id licere, aut malè sentiant de Sacramento. Quod si non appareat error contra fidem, sunt puniendi à propriis Superioribus Ordinariis. Diana p. 4. tract. 8. ref. 95.

334. 5. Omnes superstitiosi. Ad hoc autem ut superstitio onus denunciationis pariat, duo requiruntur. 1. Ut aditè expressa, vel tacita dæmonis invocatio. 2. Quòd sit mortaliter peccaminosa. Lupus p. 3. lib. 15. art. 4. diff. 2. pag. 257.

335. 6. Denique denunciandi sunt infideles negantes circa fidem, quæ habent cum Christianis communia, quæ quidem breviter, & satis recensentur in Summa Dianæ, verb. *Inquisitorum jurisdicção* in quæ delicta, num. 103. ex Diana p. 4. tract. 7. ref. 2. ut sequitur:

336. Procedere etiam possunt ex Bulla Greg. XIII. edita anno 1581. contra Judæos negantes, qui habent cum Christianis communia circa fidem; ut Deum esse unum, æternum, omnipotentem, omnium creatorem; aut id alicui, etiam privatim insinuantes, & ex hoc capite punire possunt Judæos, si ad sectam, v. gr. Saracenorum transferunt; quia tunc necesse habent peccare in his, que communiter nobiscum credunt, ita Directorium, p. 2. q. 46. contra Soufiam lib. 1. cap. 37. num. 27.

Dæmones item invocantes, consulentes, eis immolantes, thus, & alias fumigationes offerentes, verbo, factō, exemplō hujusmodi nefaria docentes Christianos.

Christum purum hominem, aut peccatorem, Deive Matrem non Virginem, similisve hæreticales blasphemias profertentes.

Auxilio, consilio, opere Christianam a fide ad impias sectas, superstitiones, aut hæresim sollicitantes.

Aliquem a fide, vel baptismo, post ejus declaratum nutu, verbo, factō, aut alio quocumque modo voluntatem retrahentes, debortantes, aut quovis modo impediētes.

Hæreticos, apostatasque scienter receptantes, alentes, commeatu juvantes, associantes, deducētes, vel deducēdos, & associandos curantes, descendentes, & quomodolibet auxilium, consilium, favorem deferentes; vel facientes, ne ab eis perpetrata investigari queant.

Prohibitos libros deserentes, retinentes, aut divulgantes, vel ad eam rem operam suam conferentes.

Derisioni habentes Christianos, Sacram Hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuentes, vel facientes quid simile.

Agnum, ovem, aut aliud quid Crucis assignentes, aut appendentes.

Christianas nutrices venentes, vel cogentes quando communicant, uno aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas.

Et in his casibus Inquisitores procedere possunt non solum contra Judæos, sed etiam Maurōs, & alios quocumque infideles.

337. Superiores omittentes legere Decreta Summorum Pontificum ad S. Officium spectantia, quæ quotannis publicè legi mandantur, non sunt suspecti de hæresi, nec denunciandi, nisi prius moneantur; quia pro ipsis fiat præsumptio inadvertentiæ, & oblivionis. Hinc Urban. VIII. die 11. Febr. 1638. tempus publicationis eorum determinatum pro feria 6. post festum Assumptionis B. Virginis extendit, & prorogavit pro omnibus Regularibus per totum residuum mensis Augusti: quod si moniti legere non eurent, sunt denunciandi; quoniam idem Urb. præcepit omnibus Inquisitoribus, ut invigilarent super observantia Decreti de publicatione quotannis faciendi, denunciations contra transgressores reciperent, ac processus formarent. Bord. in Man. Consult. sect. 55. num. 19.

338. Impediētes verò lectionem præfatorum Decretorum esse suspectos de hæresi, & denunciandos, non est dubium.

339. Denique, qui verbis Sacræ Scripturæ ab-

utuntur, ea miscendo profanis, & obscænis, v. gr. componendo paschinos, aut libellos famulos; &c. Conc. Trid. sess. 4. præcipit, juris & arbitrii penes puri ab Episcopis: contra eos procedere possunt Inquisitores. Alberginus cap. 17. num. 2. ubi refert ex Umberto: quemdam, qui Hymnum: Jam lucis orto sidere verbis inhoneſtis immiscebat, & per ludum recitans, signa impudica addebat, fuisse in Pælatio S. Officii, per ejus sententiam fustigatum, ac tibus legitimis, & voce activa, & passiva per decennium privatum, & per triennium, qualibet 6. feria jejuniō afflictum.

QUÆRES IV:

340. Quid sit superstitio, & quæ ejus species? Superstitio est, qua quis cultum divinum exhibet, vel quem non debet, vel cui non debet.

Potest igitur divinus cultus vero Deo exhiberi, sed qui non debetur, vel modo indebito: ut si quis Deum coleret per circumfessionem, aut ceremonias, & ritus veteris legis, quæ quidem significant Christum venturum. Et hoc est prima superstitionis genus: Ulterius cultus divinus exhiberi potest, cui non debetur, nempe creaturæ, & falso Deo: Et hoc est secundum superstitionis genus: cujus quinque sunt species: Idololatria, Magia, Divinatio, Vana observantia, & Maleficiū.

IDOLOLATRIA

341. EST, qua Divinus Cultus alicui creaturæ tanquam Deo exhibetur.

MAGIA

342. EST duplex, naturalis scilicet, & dæmoniacæ. Naturalis est ratio, seu facultas operandi mira per causas naturales abique ope dæmonis: & hæc non est superstitionis species. Dæmoniacæ verò est ratio, seu facultas operandi mira ope, & ministerio dæmonum per signa ab ipso instituta, & hæc est superstitionis species.

DIVINATIO

343. EST inordinata rerum occultarum, vel futurarum, qua naturaliter sciri nequeunt, inquisitio, vel prædictio per media à Divina Providentia non constituta. In divinatione semper intervenit pactum expressum, vel implicitum cum dæmone.

344. Quamplures sunt divinationis species. 1. Necromantia est divinatio facta per factas mortuorum suscitationes, vel locutiones.

2. Geomantia fit per signa, & puncta in corpore terrestris, ut in lapide, ligno, charta, &c.

3. Hydromantia fit per signa apparentia in aqua.

4. Pyromantia fit per signa apparentia in igne.

5. Chiromantia lineas manus considerat.

6. Præstigiū fit, cum dæmon quibusdam apparitionibus præstigiolis se oculis, aut sensibus hominum ingerit ad occulta pronuntianda.

7. Astrologia judiciaria est divinatio, quæ fit ex litu, motu, ac positione Astrorum, & Planetarum ad præcognoscenda in particulari eventura, quæ ex libera hominis voluntate pendunt.

8. Augurium est divinatio ex vocibus, & garritu avium, & animalium desumpta.

9. Omen est divinatio ex hominum vocibus casu, & præter intentionem prolata, accepta.

10. Sortilegium est divinatio facta per ejectionem sortium.

Contra Astrologos judiciarios extant duæ Bullæ, una Sixti V. quæ incipit: Cæli, & terræ, tenoris sequentis:

345. Nos igitur, &c. damnantes, & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo aubore, ad fidei delium deceptionem à predictis christofis, vel perditis hominibus fieri solent, &c. hæc perpetuò valitæ Constitutione, Apostolica auctoritate statuentes, & mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ judiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes judicium, & narritates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id non certo affirmare afferant, & protestentur, &c. tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis, &c. diligenti inquirant, & procedant. Vide num. 433.

Alia Bulla est Urban. VIII. quæ incipit: Infratabilis judiciorum, edita die 31. Martii 1631. ubi postquam confirmat dictam Sixti V. Bullam subdit:

346. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis cujuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad certum gradum inclusive consanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoreque nuncupatos, vel alios Astrologiam judiciariam exercentes, seu alias quomodolibet profertentes de cætero consulerint, sive desuper eorum judicium, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, illisque quomodolibet usi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderit, necnon isilem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, sive aliam Astrologiam judiciariam, seu quamlibet artem Divinariam quomodolibet profertenti, qui judicium, prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiam si id non certo se affirmare protestentur, fecerint, sive ab aliis jam factæ, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderit, aut de eis quovis modo, etiam improbando, scripserit, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis majoris lata sententia, sed etiam, uti lesa Majestatis reus ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum, etiam Romane Curie Officiorum, & devolutionis quacumque Civitatum, Castrorum, &

locorum jurisdictionalium, & feudaliū, &c. Vide num. 438. & 444.

347. Ubi non prohibetur Astrologia judicans temporum mutationem, ubertatem, sterilitatem, & ex constellationum influxu in nativitate hominis ejusdem inclinationes naturales, temperamentum, ea, quæ ad sanitatem pertinent, judicans, & actiones in genere; quia hæc naturaliter ex Astris possunt cognosci.

Hinc D. Greg. Nazianz. ex Physiognomia Juliani sui condicipuli ejus pravos animi affectus coniecit, orat. 48. In Julianum his verbis: Neque enim mihi boni quidquam significare, atque ominari videbantur cervix non sitata, humeri subsaltantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens, & vagus, vultus lineamenta ridicula, &c.

348. Prohibetur autem Astrologia judicans actiones in particulari à libero arbitrio pendentes, quoniam sapiens dominabitur Astris. Imò prohibetur, etiam si Astrologi proteltentur, se non certo affirmare. 1. Quia id dicunt ad regendas fraudes, & vitandas penas statutas, ut advertit Summa Diana cit. num. 75. 2. Quia ex Astris neque probabilis eventus futuri potest haberi, & ex probabilitate eadem sequerentur inconvenientia. Lefsius apud Dianam p. 4. tract. 7. res. 17.

349. Addit autem Tamb. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. ad num. 14. ad 18. ex Toletō, Valentia, Castropal. Delrio, & aliis, prohiberi à Sixto V. ex Astris cognitionem futuri contingenti liberi certam, aut probabilem, minimè purè conjecturalem levem, quia hæc non est iniqua jure naturæ, & in Bulla Sixti V. non est præceptum prohibens, nisi de eo, quod est iniquum jure naturæ. Ita ille,

350. Illud mihi verum est, quòd licet ex solis Astris non possit haberi, nedum certitudo, verum etiam neque probabilitas de aliquo futuro libero in particulari, puta de aliqua dignitate obtinenda; potest tamen probabilitas, & spes de illo haberi, addita consideratione temperamenti hominis, & aliarum circumstantiarum tunc temporis occurrentium, puta, quia est solers, & audax, opportunos patronos habens, &c. hæc namque (ait Sanch. apud Tamb. cit.) non est divinatio, sed providentia.

351. Ex dictis constat, posse Inquisitores Aegyptias malum, vel bonam divinatōes fortunam punire, à mortali verò excusantur, tam quæ id faciunt, quàm quæ eas interrogant, si id faciunt ex sola curiositate, & animo ridendi. Lupus pag. 523. diff. 2.

352. Item prohibetur scientia Paulina, scientia Salomonis, & similes.

353. In Chiromantia, Augurio, Omine, & Sortilegio modo explicato, & similibus regulariter adest pactum implicitum, & tacita invocatio dæmonis, in aliis verò expressum. In divinatione, in qua adest pactum expressum, semper adest peccatum mortale.

Ea verò, in qua est pactum implicitum, esto ex genere suo sit peccatum mortale, cum honorem Divinum tribuat creaturæ, affectando cognitionem Deo propriam, qualis est oculorum cognitio; excusari tamen potest à mortali ex tribus capitibus. 1. Ratione ignorantie, & simplicitatis. 2. Si non adhibeatur fides, licet timeatur ita esse, vel futurum; seu si fiant huiusmodi divinationes, neque animo invocandi demone, sed jocandi, dummodò nullo modo expectetur oculorum cognitio tanquam vera: huiusmodi tamen venialiter peccant ratione vanitatis, non superstitionis; sic excusari solent, qui fortes mittunt ad cognoscendum, qui sit felicior, qui infelicior, jocandi namque gratia id faciunt, non credendi. Ita Tamb. cit. num. 12.

Tertid tandem, excusatur si talis oculorum, aut futurorum cognitio non à demone, sed à naturalibus mediis queratur, & qualis per illa naturaliter potest haberi, hoc enim non est malum; nam ex certis avium, & animalium cantibus, aut motibus prænuantur aliqua eventura, ut pluvia, tempestas, serenitas; imò ex iisdem possunt probabiliter colligi aliqua, quæ ad hominem spectant; eadem namque causa, seu constellatio, quæ v. gr. movet aves ad tales garritus, & motus, movere potest homines ad rixas, & bella. Ita Tamb. cit. & Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 38. num. 39.

354. Illud volo te advertere, pactum implicitum cum demone non dici esse in aliqua actione, præcisè quia primus ejus inventor habuerit pactum expressum cum demone, & inde posterì eam facientes dicuntur habere pactum implicitum; sed etiam, si nullum unquam fuit habitum pactum expressum, adhuc in actione dicitur adesse pactum implicitum, si actio sit improporcionata naturaliter cum effectu, qui intenditur, & effectus non expectetur à Deo ex opere operantis, sed ex ipsa actione tanquam ex opere operato; vel si ipsa actio sit vana; quia tunc in huiusmodi actionibus se solat immiscere demò ad homines decipiendos.

VANA OBSERVANTIA

355. EST superstitio quadam, qua medio aliquo improporcionato, nec à Deo, nec à natura instituto, effectus aliquis procuratur, ut sanitas, scientia, &c. à divinatione differt, per hoc, quòd illa ad oculorum, vel futurorum tantum cognitionem ordinatur, hæc verò ad aliquos externos effectus; undè illa honorem Divinum tollit, affectando cognitionem Deo propriam; hæc expectando à creatura quod à solo Deo expectare debet, & hac ratione, & ratione pacti impliciti est pariter ex genere suo peccatum mortale, à quo similiter excusari potest ex præfatis tribus capitibus, sicut divinatio. Vide num. 353.

356. Tacita demonis invocatio præsumitur. 1. Quando adiunt verba non significativa. 2. Figuræ inutilis. 3. Nomina ignota Angelorum. 4. Fallitates,

five physica, five morales. §. Conditiones vanæ. 6. Promissio effectus infallibilis supra vires mediorum. Tamb. in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 24.

357. Panormi est dedicata Ecclesia septem principis Angelis, qui adsunt ante Deum B. Amadeo revelatis, quorum nomina ibi, & in Cathedrali in Sacello Archiepiscopi Hædidi culpa sunt: Michael Vitoriosus; Gabriel Nuncios; Raphael Medicus; Uriel fortis Socius; Iehudiel Rememorator; Barachiel Adjutor; Sealriel Orator.

Cæterum sola priora tria sunt de fide, quia habentur in S. Scriptura, quartum nempe Uriel non est de fide, sed magnæ authoritatis, quia habetur in lib. 4. Esdra cit. 4. qui liber, licet sit extra canonicos, fuit tamen annexus Sacris, iussu Sixti V.

Tamb. cit. totam rem satis doctè distinguit, tres considerando modos, quibus superstitiones exerceri possunt. 1. per sola sacra, 2. per sola non sacra, 3. per sacra simul, & non sacra.

SOLA SACRA,

358. **P**UTA, si verba ex Sacra Scriptura dicta, vel orationes sacras, à te compositas privatim recitas, vel scripta tecum geris ad sanitatem, vel grave quid tibi utile obtinendam. Tunc, si secludas. 1. Admnicula vana, & inutilia in similibus apponi solita, quæ secundum vires naturales proportionem non habent cum effectu intento; nec vires supernaturales habent ad illum, v. gr. ea recitare per tot viçes, non plus, nec minus: uno flexu genu, non aliter: in obscuro, non sub sole: tribus accensis luminibus, &c. 2. Si secludas credulitatem infallibilis eventus, sed solum habes piam spem de effectu obtinendo, nec peccas, nec superstitiosus es; bene verò, si præfata duo non secludas. Ratio primæ partis est; quia quando in verbis, aut rebus sacris speras, in Deo speras, & ritè; quia sacra littera ad Deum cum fiducia confingere frequenter nos docent; quoniam teste David in Psalm. 17. *Protector est omnium sperantium in se*; & Salomon pro bonis temporalibus deprecatus est Dominum, Prov. 40. *Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem, & verba mendacii longe à me fac. Mendacitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victus meo necessaria.*

359. Ratio secundæ partis est; quia præter Sacramenta, & Sacramentalia, nihil ex facris verbis, aut rebus datur, quod infallibilem habeat effectum; unde si ab aliis verbis, aut rebus facris illum infallibiliter expectas, à demone per tacitam invocationem expectare convinceris. Ita Tamb.

360. Nec sola protestatio, qua nolis effectum expectare à demone, sufficit ad excusandum à superstitione, & à peccato, si præfata duo non secludas; quia tunc pactum cum demone, quod renuncias verbis, approbas factò.

361. Hinc si pro aliquo morbo ter recites: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, non eris superstitiosus, si trinam repetitionem

non

non usurpes, ut in se, sed ex devotione in Sanctissimam Trinitatem, intendens in ejus honorem effectum impetrare, & hoc pacto (teste Tamb.) cit. num. 4. ait Casiodorus, variis morbis efficacè remedium fuisse trinam recitanti versum recitationem.

362. Item recitare illum versum: *In came, & fræno maxillas eorum confringe*: ad canes latrantes compescendos; & illum: *Libera me de sanguinibus*, ad sanguinem & naribus profusentem cohibendum, & similia, non erit superstitiosum, si circumstantias vana, ac inutiles, & credulitatem infallibilitatis effectus corrigas, aut excludas.

363. Circumstantiam vanam corriges, si orationem ad gratiam impetrandam, quinques, aut novies recitandam, quinques, aut novies recites, non considerato numero quinario, aut novenario in se, sed relatè ad honorem quinque plagarum Christi, & ad novem Angelorum Choros.

364. Eodem modo, si alicui morbo caduco arrepto clam ad aurem insuffles: *O creatura Dei, memento Creatoris tui*, superstitiosus eris; quia observatio illa ea verba preferendi clam, & non palam, est vana: Superstitiosus autem non eris, si hæc ablata circumstantia, & insuffillatione ad aures correctè in hoc, quòd ad aurem verba illa insuffles eo sine, ut sic ea morbum patiens audiat, & Deo se commendet. Quæ correctio (ut bene advertit Tamb.) non potest habere locum in insuffillatione ad aures equi, quia equus non est capax percipiendi verba, & Deo se commendandi; unde loquendo de equo morbo arrepto, ut superstitio tollatur, oportet, ut etiam circumstantia insuffillationis ad aures tollatur, præcisè recitando verba, & ea referendo ad Dei honorem, juxta illud Cant. Danielis: *Benedicite omnia opera Domini Domino. Benedicite omnes bestia, & pecora Domino*; & Psalm. 148. *Laudate Dominum de terra, &c. bestia, & universa pecora.*

365. Denique: ut superstitio tollatur, nedum debent tolli, aut corrigi circumstantiæ inutiles, & excludi credulitas infallibilitatis effectus, verum etiam debent sacra adhiberi ad effectum serium, ac prudentem obtinendum, puta ad sanitatem, vel aliquod grave utile impetrandum, minimè ad effectum inutilem, ac vanum, v. gr. ad motum annuli, &c. quia cum Deus non se immisceat rebus vane, tunc convincitur, effectum expectari à demone.

366. Sub his considerationibus, ait Tamb. cit. num. 30. ex Sanchez, non esse superstitiosos Empalmistas, qui per Empalmos, videlicet per quoddam versum ex Psalmis, seu per alias orationes curant infirmos. Nec eos, quos Hispani vocant Salutatores, qui suo tactu, vel orationibus sanant morbos. Nec Ciraulos, qui nati nocte Conversionis S. Pauli, sputo, vel tactu à morbo venenosis sanant; quia hæc sunt gratiæ gratis datæ, juxta illud Pauli ad Corinth. 12. *Alii gratia sanantur in uno spiritu.* Ita Rex Franciæ habet à Deo gratiam sanandi strumas, his utens verbis: *Io ti tocco, è Dio ti sana*; de qua

Hormisla Papa, episc. 1. ad Remigium, & D. Thom. de Regim. Princip. 2. cap. 16. unde præfati superstitiosi non sunt, nisi aliquid, quòd superstitionem sapiat, admisceant, juxta superius dicta.

367. Superstitiosa tamen est cartula illa, quam quidam pro viscerum dolore gestare solent, in qua est scriptum: *Pater, & Balthasar, Filius, & Gaspar, Spiritus Sanctus, & Melchior, &c.* quia talis mixtio inter nomina Sanctissimæ Trinitatis est improporcionata, indecens, irreverens, & vana.

SOLA NON SACRA.

368. **Q**UANDO non sacra adhibes ad aliquem obtinendum effectum, superstitiosus eris, si ea vires non habent sufficientes ad illum. Minimè verò, si vires habeant naturales, etiam occultas. Et tunc solum teneris excludere, aut corrigere, circumstantias inutiles; si quæ sint, minimè credulitatem infallibilitatis effectus, conformiter ad vires naturales rerum, quæ exhibentur, nam causa naturalis necessario agit.

369. Huc reducitur, quando aliquod agis, aut omittis sub tali circumstantia, aut tempore, v. gr. iter agis die Jovis, iter omittis die Martis, non vis tredecim invitatos simul discumbere, cum firma credulitate infallibilitatis eventus boni, quem speras, aut mali, quod times. Tunc quidem superstitiosus eris; minimè verò, si ei tempori sit adjuncta circumstantia, ex qua prudenter timeatur eventus malus, &c. puta si tunc prudenter timeas, esse inimicos, aut latrones in via, &c.

370. In rebus naturalibus, quoties non appareat immixta superstitio aliqua, ut sunt verba incognita, determinatus numerus vanus, aut modus inutilis; tunc præsumendum est pro viribus naturæ. 1. Quia in dubiis melior est conditio voluntatis volentis rebus illis uti ad sanitatem, aut grave utile sui, aut proximi, & in dubio non præsumitur delictum. 2. Quia in dubiis melior est conditio naturæ; nam natura ex sæpius contingentibus præsumenda est potens, & mirabilis in operationibus suis; ex quo enim videmus, ferrum trahi à magnete, arguimus in magnete virtutem naturalem ferri tractivam, &c. Ita Tamb. cit. num. 63. ex Sanchez, & Bord. in Man. Consult. scilicet 34. num. 10.

SACRA SIMUL, ET NON SACRA.

371. **S**I ad aliquem obtinendum effectum cum sacris adhibes res naturales inutiles, aut profanas irreverentes, superstitiosus eris. Item, si res naturales utiles sacris adjungas, putas, sacra necessario naturalibus rebus indigere, seu ab his vim efficacem habere, tunc ultra superstitionem, adjungis hæresim.

372. Si verò res naturales utiles adhibes ex illis effectum expectans, & insuper sacra adjungas ad Deum pro adjutorio precandum, prudenter simul, & piè te geris; quoniam causæ naturales efficacissimæ, Deo

non

non adjuvante, inutiles sæpe redduntur: juxta illud Psalm. 126. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Hinc ait Apostolus: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.*

373. Isteritiam curare cum oratione sacra, & cura filo de lizzo, quo statura, & brachia extensa ægri ter metuntur, cum aliis circumstantiis, superstitionis est; quia omnes circumstantiæ adjunctæ præter orationem, sunt vanæ, & inutiles. Secus, si solam sacram orationem adhibeas, in qua solent esse vera nomina Dei, & dicta num. 358. attendas. Cum hac sola oratione, tribus diebus, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis recitata, circumstantiis vanis, & inutilibus seclusis, sæpe isteritiam curatam vidi. Tunc igitur à Deo effectus ex opere operantis expectatur, minimè cum certitudine infallibilitatis effectus, sed cum pia spe, & fiducia in Deum, quoniam celestis medicus animabus, atque corporibus solet medelam largiri.

374. Ex his patet, quid sit de incantatoribus dicendum.

MALEFICIUM

375. **E**ST vis, ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone. A Magia differt per hoc, quòd illa intendit facere mira, hoc verò ad nocendum dirigitur.

376. Dividi potest in duas species, scilicet in maleficium amatorium, quo hominum animi ad carnalem amorem fleantur; sub quo comprehenduntur verba, aut scripta superstitionis ordinata ad amorem; & in veneficium, quod ad nocendum aliis dirigitur.

377. Unum maleficium alio maleficio solvere non licet. Potest tamen statua, ut res illa, quæ solet à maleficio componi, comburi, nullum quod superstitutionem sapiat, admisceo.

378. Ad hanc speciem spectant lamæ, seu stryges, vulgò *donne di fora*.

379. Sub hujusmodi superstitionibus maxime comprehenditur abusus Sacramentorum, aut Sacramentalium de factis inveniendos, ad amorem provocandum, &c.

380. Alia demum delicta, pro quibus est facienda denunciatio, habes in Edicto Inquisitionis.

QUÆRES V:

381. *Qua sit hæresis ad Sanctum Officium spectans?*

Hæresis in num. 258. definita est duplex, una scilicet merè interna, seu purè mentalis, quæ consumatur in ipso intellectu, nullo signo exteriori dato; & hæc quamvis in rigore theologico sit hæresis formalis, cum ei propriè conveniat definitio hæresis, non incurrit tamen pœnas contra hæresim ab Ecclesia fulminatas, nec est reservata, sed potest à quolibet Confessario absolvi, etiam sine Bulla, quoniam juxta communem Theologorum, Ecclesia non judicat de internis.

382. Alia est externa, quæ videlicet exterius prodit per aliquam vocem, scripturam, nutum; aut signum ex affectu hæresis prociens, eamque quantum est ex se determinatè demonstrare valens, & hæc incurrit omnes pœnas contra hæresim fulminatas, esseque reservata, ita ut neque virtute Bullæ, neque Jubilæi possit absolvi nisi talis facultas expresse concedatur, ex Decr. Univ. Inquisit. Rom. sub Alex. VII. anno 1656. aut nisi in articulo mortis, in quo quidem, ex *Trid. sess. 14. cap. 7.* etiam si fuerit publica, potest à simplici Sacerdote absolvi, sicut, & alii casus reservati, imposito juramento de se præsentando Superiori, & de stando mandatis Ecclesiæ, si convaluerit; idque etiam si occultissima, ut si vox à nullo fuerit audita, nec signum visum, & scriptum fuerit combustum; quia tunc, cum signum illud externum sit per se sensibile, est per accidens occulta, ac proinde cadit sub lege pœnali Ecclesiæ, quæ judicat de externis, & hæc spectat S. Officium; & si contingat ab aliquo sciri, est denuncianda.

Ut hæresis igitur sit reservata, & pœnas incurrat, requiritur

1. *Ut sit externa, ut jam explicatum est.*

2. *Ut actus externus sufficienter, & determinatè hæresim manifestet.* Unde non est reservata, si sit extenuata per signum, aut verba indifferentia; ut si quis mente teneat: *Deus non est trinus;* & exterius proferat: *non est.*

3. *Ut manifestet hæresim internam presentem.* Unde non est hæreticus externus, qui per jocum fingit, aut verè dicit, se aliquando tenuisse errorem in fide, puta, Deum non esse trinum. Nisi id dicat animo eandem hæresim confitendi, seu in ea complacendi. Ita Alberg. in *Man. cap. 2. num. 3.*

4. *Ut actus externus sit mortalis, & manifestativus animi hæreticis.* Hinc qui suam hæresim internam exterius manifestat amico, aut Confessario, causâ capiendi consilium, aut confitendi, non est hæreticus, nec in excommunicationem incidit; quia non manifestat eam animo hæreticali, sed est paratus corrigi.

Item, qui motus hæresi interna, qua putat licitum esum carnis diebus prohibitis, carnem in parva quantitate edat, nec est hæreticus externus, nec in censuram incidit; quia requiritur, ut actus externus sit mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundum operis externi quantitatem. Ita Alberg. *cap. 22. num. 8.* cum Bonac. Diana, & aliis. Adde, præferat actum externum non esse ex se determinatè manifestativum erroris interni.

De Schismate, quod quidem Ecclesiam Christi dividit, negando obedientiam Summo Pontifici Romano, eodem modo est discurrendum, sicut de hæresi; nimirum, quòd non possit absolvi, si sit externum cum errore in intellectu.

383. Hinc non est hæreticus, qui exterius tantum

tum fidem negat, aut adorat idolum; quia non errat in intellectu, ac proinde non incurrit pœnas, & censuras contra hæreticos latas, licet in foro externo secundum externa procedatur, & inde fit denunciandus. *Vide num. 330.*

384. *Bulembaum lib. 2. tract. 1. cap. 4. dub. 3. num. 5.* ait, ruflicos, & alios homines simpliciores in locis hæreticorum existentes, ut in Germania, qui habentur hæretici, & tamen ratione suæ ignorantia, & simplicitatis pertinaces non sunt, posse absolvi à suis Parochis; ratio est, quia non sunt hæretici formales, & habent fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quæ non amittitur, nisi errando pertinaciter: ita ille ex Laymân.

Id contingere potest, quatenus hæretici volentes, suos filios naturali odio contra fidem Catholicam trahere, eis à pueris Catholicis speciebus horrores tanquam lupos præsentant; & ita, licet possint diu in errore sine pertinacia vivere, statim autem ac est eis sufficienter propositum, Ecclesiam Universalem oppositum tenere, statim incipiunt esse pertinaces.

385. Certum tamen est, hæreticum esse illum, qui positivè, seu affirmativè de aliquo articulo fidei dubitat, hoc est, deliberatè judicat, esse dubium; similiter, & cum qui opinativè solam ascititur rebus fidei, putans aliquem articulum fidei esse solum probabilem: utriusque ratio est; quia cum fides sit certa, & infallibilis, utpote innixa testimonio divini, requiritur, ut articuli fidei certò credantur ex Dei revelatione.

386. *Dixi: opinativè solum:* quia ex vi alicujus rationis affirmare probabilem aliquem articulum, non esse hæreticum, imò laudabile, modo teneas, ex vi revelationis esse certum, docet Tamb. *de Fide, cap. 1. §. 6. num. 3.* cum Castropal.

387. Et Bulem. *cit. num. 2.* addit, quod negativè tantum dubius, hoc est suspendens judicium, & circa utramque partem negativè se habens, per se, & simpliciter non sit hæreticus. 1. Quia non habet judicium, & consequenter non habet errorem in intellectu, dummodo tamen non ideò suspendat, quòd virtualiter judicet, non constare de certitudine objecti. 2. Quia hæresis est infidelitas positiva. Hinc ultra formale dubium dari debet judicium intellectus affirmantis, rem fidei non esse certam, quod judicium est hæresis. Alberg. *cap. 5. num. 5.* cum Portel. & Soufa.

At hoc haud mihi placet sic absolutè dictum, nam quis vel est negativè dubius circa aliquum articulum fidei, qui non est ei à Parentibus, aut Parochio sufficienter propositus, & tunc sumus in casu ignorantia; vel circa articulum fidei, qui supponatur sufficienter propositus: & tunc negativè dubius est hæreticus; quia tunc suspendendo judicium virtualiter judicat, non constare de certitudine objecti præceptum autem fidei obligat ad positivè judicandum verum, & certum articulum fidei sufficienter propositum.

Hinc Alberg. cum Valentia, & Sanchez ritè excipit natos, & educatos inter hæreticos in fide non satis instructos, iis namque dubitare licet donec instruantur, & rectè nostræ fidei credibilitatem apprehendant: quia in illis dubitatio, & virtuale judicium de incertitudine non est cum pertinacia.

388. Quando tamen dubitatus oritur ex sola tentatione, uti solet accidere, cum repugnantia, & displicentia voluntatis, tunc vel non erit peccatum, sed potius materia meriti, quia actus ille intellectus erit purè naturalis; vel si peccatum, non nisi veniale. Ita Summistæ.

QUÆRES VI:

389. *An in casu, quo qui incidit in hæresim externam, sit excusatus ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, sit denunciandus?*

Plures à Doctoribus dantur casus, in quibus qui incidit in hæresim externam, non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

390. Id principaliter contingit, quando hæresis, licet publica, est merè externa.

391. Alios duos referunt casus Tamb. *tom. 2. de Pœnit. lib. 5. cap. 5. num. 4. & 7.* Bardi in *Selectis Moralibus, lib. 6. q. 5. p. 303.* & apud eos, Castropal. Suarez, Sanchez, & alii, in quibus committens delictum excusatur ab excommunicatione reservata in Cœna Domini, & sunt metus cadens in virum constantem, aut ignorantia censura; ita ut qui committit hæresim formalem externam, etiam cum errore in intellectu, ignorans tamen, ei esse annexam excommunicationem reservatam in Cœna Domini, excommunicationem non incurrat, ac proinde potest à quolibet simplici Confessario absolvi. *Vide num. 396.*

392. Ratio est, quia hæc est differentia inter casus reservatos Pontifici, & reservatos Episcopo, quod casus non est reservatus Pontifici, nisi cum excommunicatione conjunctus, non sic casus Episcopalis, nam Episcopi regulariter reservant delicta ratione ipsorum; unde cum ratione ignorantia (quæ quidem excusat ab incurfione censura) non sit annexa delicto hæresis excommunicatio, delictum hæresis non habetur pro reservato, ac proinde potest à quolibet simplici Confessario absolvi, & è contra ignorans excommunicationem delicto Episcopali annexam, est non incurrat in censuram, adhuc committit casum reservatum Episcopo; ita ut non possit à quolibet Confessario absolvi.

Quod autem in casibus Pontificiis culpa non sit reservata, nisi cum excommunicatione conjuncta, probatur primò ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ in casibus Pontificiis non censet reservatam culpam, nisi cum excommunicatione conjunctam: cui praxi accedit communis Theologorum consensus.

Secundo ratione, quia Pontifex in Sacris Canonibus, & præsertim in Bulla Cœnæ solum proponit istas censuras, & postea illas reservat, nam in §. 19. Bullæ Cœnæ, in qua fit reservatio, id habetur expressè.

presè per hæc verba: *Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo confitetur, absolvi possit.* Sententiæ autem, supra quas immediatè cadit reservatio, sunt ipsæ censuræ; igitur à censuræ reservatio redundat in culpam, ac proinde culpa non censetur reservata, nisi cum excommunicatione conjuncta; cum igitur ratione ignorantia ex communi sententiâ non incurrat censura, non incurritur reservatio; quia tunc culpæ deficit fundamentum reservationis, videlicet censura, quæ tali peccato individuo non est conjuncta.

393. Hoc autem dictum est à præfatis Doctores de ignorantia censuræ, minimè de ignorantia reservationis, nam certum mihi est, quod qui commisit hæresim formalem externam, aut aliud delictum de Bulla Cœnæ, si sciat esse annexam excommunicationem Cœnæ Domini, ignoret tamen hæc esse reservatam, adhuc incidit in censuram reservatam, ita ut non possit à simplici Confessario absolvi, sed à Summo Pontifice, aut Inquisitoribus; quoniam ex communi sententiâ contra aliquos ignorantia reservationis non excusat, sed reservatio regulariter incurritur ab ignorante; quia regulariter loquendo, reservatio non est pœna, qualis est censura, sed medicina, est enim limitatio potestatis Confessariorum ad bonum regimen, & ob bonum publicum facta, ut fideles ab iis peccatis patrandis absterreantur, dum vident, non posse ab ordinariis Confessariis absolvi. Item reservatio est restrictio jurisdictionis in Confessario, & cum jurisdictione tota dependeat à voluntate Superioris, non oportet, ut eam sciat reus, sed sufficit, si eam sciat Confessarius.

394. Ex quo fit, quod licet ignorans, aut non advertens pœnam, non incurrat in pœnam, puta in excommunicationem, sciens tamen pœnam, & ignorans reservationem, incidit in reservationem; licet licet ignorans, aut non advertens culpam, non incidat in reservationem, sciens tamen culpam, & ignorans reservationem incidit in reservationem; quia licet in priori casu cadat fundamentum reservationis, nempe culpa, aut pœna voluntaria, atque indè cadat reservatio, stat verò in posterius.

His verò datis, & suppositis,

395. Resp. ad questionem affirmativè: quia in foro externo secundum externam proceditur, & suadetur à fortiori de blasphemia hereticali, in quam prorumpens sine errore in intellectu est denunciandus ex *mun. 311.* à fortiori in casu hæresis. Qui igitur incidit in hæresim purè externam, aut in hæresim formalem externam, ignorans excommunicationem Bullæ Cœnæ, est Inquisitoribus denunciandus. *Vide mun. 288.*

396. Dixi: *his datis*, quia (ut ritè advertit Diana p. 5. *trakt. 13. ref. 18.*) ignorantia excommunicationis reservata in casu hæresis, non potest habere locum in nostris Regionibus Hispaniæ, & Italiæ, ubi viget S. Inquisitionis Tribunal, ex cujus præfer-

tim contra hæreticos pervigili cura, est moraliter impossibilis ignorantia legis Ecclesiasticæ excommunicantis hæreticos, & maximè post *Decr. Univ. Inquis. Rom. sub Alex. VII. de anno 1656.* quod iussu DD. Inquisitorum hujus Regni Siciliae sub datis 15. Febr. 1657. video, qualibet sexta feria post octavam Assumptionis Virginis in Communitatibus Regularium publicè legi, quoque Confessarii, & Religiosi edocentur, crimen hæresis non posse, etiam virtute Jubilæi absolvi, nihil aliud cunctis est notius, quam crimen hæresis, etiam occultum esse reservatum, imò si quis est, qui in aliquam hæresim cadat, eum experimur accuratorem ad se occultandum ob timorem, ne deferatur ad S. Tribunal: ac proinde in nostris Regionibus moraliter, & practicè loquendo non potest dari casus, quod quis in hæresim formalem externam cadat, & possit à simplici Confessario absolvi: non quidem ratione ignorantia: censuræ, quia hæc moraliter in nostris Regionibus non est possibilis, neque ratione metus, cadentis in virum constantem; quia metus licet possit timorem incutere ad prorumpendum in actum externum hæresis, non potest illum incutere ad habendum errorem in intellectu, ut discurrunt patet.

CAPUT VI. DE LIBRIS PROHIBITIS.

397. **L**ibros prohibere spectat ad Summum Pontificem, quod regulariter facit per Congr. Univ. S. Officii, cujus autoritas per totum Orbem extenditur.

398. Magistrum Sacri Palatii libros perniciosos prohibere posse, ait Bord. in *Man. Consult. sect. 48. mun. 5.* liquet ex quamplurimis prohibitionibus ab eo factis, & in Indice iussu Alex. VII. impresso registratis, subdit tamen: *Sed puto, hanc ejus potestatem non excedere Urbem, & ejus districtum; quia nunquam vidi ejus prohibitiones publicari extra per Inquisitores, nisi missas, vel à Papa, vel à S. Congregatione; signum evidens, quod ejus potestas terminatur locis Urbis, & suburbanis, ubi in hoc officio fungitur, ut Inquisitores in suis Dioecesibus.*

399. Libros prohibere possunt Episcopi, & Inquisitores, ex Reg. 10. Indicis: *Liberum sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Provinciis, vel Dioecesibus expedire judicaverint.*

400. Quia autem Episcoporum, & Inquisitorum autoritas contentiosa est restricta loco, & personis, ac proinde non operatur extra proprium territorium, talis prohibitio, ut universaler operetur, fieri solet, vel per Sac. Cong. Univ. Inquisit. coram Sanctissimo per totum Orbem, vel per Inquisitores Supremæ Inquisitionis Hispaniarum pro cunctis Hispaniarum Regnis.

401. Generales libros suorum subditorum prohi-

hiberi possunt, si absque eorum licentia fuerint impressi, aut si sint in S. Tribunali, vel suæ Religionis perniciosi; si verò contineant hæresim, aut suspicionem, id spectat ad S. Tribunal, ex *mun. 248.*

MATERIA,

402. **O**mnibus liber prohiberi solet, est quintuplex. 1. Quæ continet hæresim. 2. Quæ tractat de Religione, nempe de re sacra, puta de S. Scriptura; de fide, de rebus ad Dei cultum, & Sanctorum spectantibus, de Theologia Scholastica, & Morali, de Concionibus, de Jurisdictione, & Immunitate Ecclesiastica, de Privilegiis Clericorum: minimè si tractet de Philologia, de Historia, &c. imò ut dicatur de Religione tractare, requiritur, ut de ea tractet ex professo, minimè, si obiter. *Vide mun. 404. 3.* De rebus obsecris. 4. De Casibus conscientia, in quibus tamen habentur opiniones laxæ, & periculose conscientia, aut nullam probabilitatem habentes, vel habeatur aliquis error in fide, aut hæresis. 5. Qui tractat contra proximum, puta de jurisdictione uni data, & ab altero ablata; aut continet calumnias, injurias, &c. contra Religiones, personas Religiosas, Principes, &c.

FINIS

403. **P**rohibitionis 1. est odium hæreticorum. 2. Est, de fides illa permaneat, ut fidelium scandalum, animarumque periculum vitetur, & ut pax, atque charitas in Republica Christiana servetur. *Vide mun. 462.*

INDEX

404. **L**ibrorum prohibitorum tres constituit classes. In prima classi non tam continentur libri, quam eorum Authores, quatenus hi sunt hæretici, & horum sunt prohibiti libri, tam editi, quam edendi, qui tamen hæresim continent, aut de Religione tractant, etiam bene de ea tractent, & nullum errorem continent, quoniam indignum est visum Ecclesiæ ut fideles ab ejus hostibus erudiantur; & doctrinam de Religione desumant, hæreticum Regio Palæ inrepante in Palm. *Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? Vide mun. 420.*

405. In secunda classi continentur, non Authores, sed libri, quatenus eorum Authores sunt Catholici, continent tamen doctrinam non sanam, & idèd prohibentur. Duplici autem modo doctrinam non sanam continere possunt. 1. Quia continent incidenter aliquam, seu aliquas hæreses, aut falsi dogmatis suspicionem. 2. Quia offensionem etiam in moribus tantum fidelibus afferre possunt, ut in *mun. 422.*

406. Ex Bord. in *Man. Consult. sect. 49. mun. 75.* *Nomine suspitionis falsi dogmatis venit error, qui creditur esse contra fidem, dogma enim pium est doctrina*

na in fide, Glos. v. Senpovius, cap. Sats 7. dist. 95. Glos. in fin. in d. 3. per caput. Qui Episcopus 2. dist. 29. itaque falsum dogma est error contrarius doctrina de fide: doctrina autem fidei spectatur dupliciter, 1. ut talis est de fide definita, ut sunt articuli, & propositiones de fide definita, ut patet in Canonibus Conc. Tridentini. 2. In doctrina fidei aliqua sunt propositiones, quæ ab aliquibus putantur de fide, ab aliis negantur esse de fide: pono exemplum in hac propositione: Papa in Canonizatione Sanctorum non potest errare: aliqui dicunt esse de fide; quod ego teneo, alii negant, ut dixi sect. 45. num. 162. hæresis ergo dicitur, & ex diametro opponitur fidei, falsum verò dogma, de quo est suspitio, opponitur fidei non ex diametro, sed secundum suspicionem, & opinative tantum, non definitive, ut hæresis. Vide num. 441.

407. Aptius exemplum est in hac propositione: *Papa in Beatificatione errare non potest*: nam plures Doctores, inter quos Diana p. 11. *trakt. 2. ref. 18. & 19.* qui ritè fatentur esse de fide, quod Pontifex non possit errare in Canonizatione Sanctorum, id negant de Beatificatione: undè concludunt, quod qui negaret, Beatum aliquem esse in gloria, non esset hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria; quia contra communem Doctorem, & fidei delictum sensum scandalosa; quia fideles à Beatorum cultu, & veneratione retraheret. Impia: quia contra cultum viris Beatis debitum. Suspecta falsi dogmatis, quatenus est contra dogma pium, seu doctrinam opinativè de fide, in quantum quamplures Doctores docent, etiam de fide esse, Romanum Pontificem in Beatificatione errare non posse: & denum suspecta de hæresi; quia sic dicens videtur negare in Papa potestatem ad beatificandum.

408. Doctores autem, qui concedunt de fide esse, Papam errare non posse in Canonizatione, & id negant de Beatificatione, pro præcipua disparitate assignant, quia Canonizatio est ultimum iudicium Ecclesiæ, quo definitur, virum Dei esse in gloria, post quod nihil amplius discutitur. Beatificatio non est ultimum iudicium, quoniam post illud, antequam ad Canonizationem deveniant, fit novum examen, testes, & miracula recipiendo; quod non ferret, si de fide esset, Pontificem non posse in Beatificatione errare, nam, quod est de fide certum, ulterius certitudine minimè eget, cum sit infallibilis veritatis.

409. In hac autem re, quæ obiter hic mihi tractanda suppetit. Dico, de fide esse Romanum Pontificem, tam in Canonizatione, quam in Beatificatione errare non posse, ita ut dicens, eum posse errare, seu Sanctum, aut Beatum non esse in gloria, sit hæreticus formalis. Bord. *ref. 113. mun. 15. Vericelli trakt. 8. q. 24. & 25.*

410. Ratio est, quia hæc propositio: *Romanus Pontifex in Canonizatione, & Beatificatione errare non potest*, sequitur ex duplici præmissa de fide, videlicet: *Romanus Pontifex docens Ecclesiam in his, quæ spectant*